DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO


HABITA IN BASILICA S. PETRI
AD SANCTISS. D. N.
PAVLVM QVINTVM
PONT. MAX.

A D. MARIO AQVAVIVA DE ARAGONA NEAPOLITANO
SEMINARII ROM. CON.

IPSO PENTECOSTES DIE.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. D. D. IOSEPHO AQVAVIVA DE ARAGONA.



D. MARIVS AQVAVIVA DE ARAGONA F.



NOSTRA S. Spiritus laudatiuncula publico tametsi debet, abstineri non potest. vide confidentiam: lectitari cupit: prodire gestit. hoc est è potestate mentis exire cœpit. Infelix.


Ludibrium ventis nimirum debet, & undis.

quæ vix aurium præter vecta silentium: nunc oculorum iudicium non reformidet. Illi si

31 Deo placet, è fortuito ſucceſſu pro breuitate corpuſculi maior animi creſcit audacia. quid impudentulæ deprecer, ignoro: præter hoc vnum. vt quandó maritimam fidem, ſibi nunquam fore retur infidam: curſum dirigat ſaltem ad propinquum portum humanitatis tuæ, quo ſi forte ſoſpes appulerit: ex voto celeuma quidem decantet: dum ſubſcribat ad votum. Si me viderit iterum mare diſperiam. Vale.

DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO.





DITVS hic è Cœlo ſonus aduenientis Spiritus vehementis, ad numerum reſpondet B. P. quo Diuinæ fidicea lyræ Regius Pſaltes in hanc lucem eminens animo prælusit his ferme verbis.

Intonuit de Cœlo Dominus; Dedit Altiſſimus vocem ſuam: Apparuerunt fontes aquarum tribus verſiculis tria felicitatis hodiernæ capita complexus eſt. Cœli tonitrum: Altiſsimi vocem: Aquarum fontes. Tonitrum cœli repentinus è Cœlo ſonus: Altiſsimi vocem ignis diſtinctus in linguas: Aquarum fontes diffuſa per omnes gentes Apoſtolorum prædicatione ſapientia ſalutaris imitatur. Quæ tria cum breuiter oſtendero: peroraro. Intonuit de Cœlo Dominus. Dominus virtutum: Spiritus veritatis: quam hominibus oſtendit in filio Cœleſtis Pater. Summi magiſtri nota vox eſt. Ille de meo accipiet: & annuntiabit vobis. Quod enim Sapientiæ Cœleſtis auctor optimus, & maximus Chriſtus ante docuit verbo, declarauit exemplo morte, ſanciuit: id Patris, & filij ſempiternus, & conſubſtantialis hic ſpiritus in Apoſtolos veritatis diſcipulos effuſus vehementi ſermone

promul-

promulgat. Ad hæc: Cœli tonitrũ cõsequitur è vestigio fulmen; nec sine quassu, nec sine strage Regnorũ: eorum inquã, quæ Cœlo non tã propinqua, quã infensa videbantur. Ardua fulmen petit. Ergo Gygantum ardua moles infesta superis de Cœlo tacta prima contremuit: lateq; soluto superborum opere Mundi, Carnis, Dæmonis Triumuiralis improbitas sui ruinam à fastigio traxit in Auctorum caput, vt eorũ infami non minus exitio, quam flagitio Babyloniæ cadauer obrueret. Roma testis est Amazon illa bellatrix, illa cruenta Regina gentium: quæ sublimi victoriarum, & triumphorum aggere proximè, quemadmodum sibi videbatur, admota Cœlo perdomitas olim nationes impresso vestigio proterebat. Illa nunc ad nudos Piscatoris Pontificis pedes affusa supplex ingenuæ Veritatis animata spiritu, simul respirauit ad Cœlestis amoris auram: simul falsæ libertatis exuta phaleris Regium Christi iugum sponte suppositis ceruicibus accepit: & stigma voluntariæ seruitutis inustum fronti signum Crucis ostentat. Mirum illa scelerum Lerna centum geminæ belluæ nutrix: Vorax illa Regnorum Charybdis: Illa superstitionum vorticibus, opinionum Euripis æstuosa Symplegas, accepta diuinitus in populos edisserendæ sapientiæ potestate gentes vndiq; Vaticanum in Acroaterium conuocat: vt Diuino iuris vtriusq; magisterio nunc euehat ad Deum: quas olim infra terras iniusto dominatu secum ipsa deprimebat ad Inferos. Quis illam prostituto pudore Babylonem credat aliquando meruisse: quam hodie Cœlesti flamine filio. Cœlestis Pater obnubit? quam pronuba Veritas in Diuini Sponsi thalamum inducit? quam Paulus doctor gentiũ vni viro Virginem castam despondet & exhibet Christo? quam Petrus Apostolorum Princeps sacrosancta Regalis Sacerdotij dignitate cohonestat? quam & vnam omnes agnoscimus, & vnice veneramur veritatis interpretem, Religionis antistitem, officij magistram, decori custodem, Regno-

rum

rum moderatricem, Humani generis parentem, Præſidem publicæ felicitatis? quam è præparato de carne Virginis habitaculo beneuolentiſſimum reſpexit è Cœlo dominus: iam tum, cum veritatis oraculum Verbum ſuum,& verbi vocem Altiſſimus dedit, afflatu S. Spiritus vehementer omnia miſcentem: confringentem Libani cedros, intercidentem flammam ignis; concutientem deſertum Cades; præparantem Ceruos; & condenſa pandentem: vel vt amota ſimilitudinũ nube, rem apertius exponam, tumidos ſuperborum animos ſpiritu manſuetudinis, opprimentem; inſanos cupiditatum turbines caſtimonia mitigantem; obduratam conſuetudine ſcelerum malitiam terrore iudicij conterentem; ad humanæ corruptelæ deteſtationem, ac fugam quaſi Ceruorum pauorem & celeritatem, caſtis animis addentem; abdita demum hactenus rerum humanarum, & diuinarum arcana reſerantem: quæ Ciuitates præceptis erudiret ad ſapientiam: legibus ad iuſtitiam informaret: Viribus inſtrueret ad tolerantiam laborum: moribus imbueret ad inſignem ſpeciem honeſtatis: cupiditatibus temperaret ad pacem: virtutibus coloraret ad gratiam, laudibus condecoraret ad gloriam: Spiritu veritatis animaret ad vitam, artificioq; ſuo, quaſi digito tractaret: eoq; vſq; perpoliret, ac fingeret, quoad indoles; & adoptio filiorum Dei tranſiret in indolem, & hæreditatem Cœleſtis Patris. Interim domi foriſq; publica priuata, ſacra, profana moderatur ad præſcriptum, & exemplum veritatis, inſinuante ſe ſubinde. Cœleſtis inſtincta ſpiritu charitatis: ne ſemel accepta docendæ veritatis auctoritas deſeratur: ne Religionis Sanctitas violetur: vt iuris vtriuſque prudentia vera tradatur: vt Sacerdotalis imperij perpetuo conſeruetur incolumis in Vaticana ſede fundata Maieſtas. Et iure quidem optimo: ſiquidem ex nulla commodius Arce, quam ex ea vexillum veræ libertatis, & religionis extollendum fuit; in qua gentes omnes auctoramentum acce-

perant

perant superstitionis, & seruitutis. Caput hoc erat terrarum: hic, hic excitandum domicilium sanctitatis: hic aperiendum fuit æquitatis Asilum: hic cortina veritatis: hoc commune perfugium virtutum: hoc emporium nationum, vt inde Diuinæ sapientiæ vena tanto pronius deriuaretur ad vnam quamq; terrarum oram: quanto cœteris regnis Romanum fastigium altius emineret. Hinc igitur exaudita Petri, Paulique voce, quam hodierna luce dispertitis in singulos Apostolos linguis dedit Altissimus, confestim apparuerunt fontes aquarum. Ex quibus fontibus omnes continuo quaquauersus terrarum tractus habitabiles irrigarentur: & omnis vbiq; gentium virtus, omnis honestas, omnis æquitas, sanctitas, dignitas, tranquillitas ex ijsdem educta fontibus efflorescere. Quid igitur restat aliud? nisi tantã vt nobis diuinitus impertitam felicitatem non solum hac anniuersaria, sed assidua gratulatione recolentes infinitum amorem amemus Cœlestis Patris: eiusque clementiam imploremus vt suo, filijq; spiritu nos imbutos, vt cœpit, in omnem inducat, quemadmodũ eius promisit filius, Veritatẽ.



FINIS.

Viterbij. Ex Typographia Discipulorum. 1618.

Superiorum permissu.